

DISSERTATIO INAUGURALIS

M E D I C A

D E

N O M M A,

QUAM ANNUENTE

MAGNIFICO DOMINO

PRAESIDE, ET DIRECTORE,

A C

INCLYTA FACULTATE MEDICA

REG. SCIENTIARUM UNIVERSITATIS. HUNGARICAE

DOCTORIS MEDICINAE

OBTINENDO CONSCRIPSIT

THOMAS KEZMARSZKY.

HUNGARUS SZEPES-VÁRALLYENSIS

Theses adnexae publice defendentur in Palatio Universitatis
maiore, die Maii 1833.

B U D A E,

TYPIS REGIAE UNIVERSITATIS HUNGARICAE.

ADMODUM REVERENDO
DOMINO
MATHIAE MALETER

PRIVILEGIATI OPPIDI OLASZI UNIUS E XVI CORO-
NALIBUS SCEPUSIENSIBUS PAROCHO S. SEDIS CONSIS-
TORIALIS SCEPUSIENSIS, I. I. ITEM COMITATUUM,
SCEPUSIENSIS, ET ARVENSIS TABULAE JUDICIARIAE
ASSESSORI, CAPITALIS SCHOLAE OLASZIENSIS
DIRECTORI.



**BENEFACTORI SUO
PRIMUM, HOC INGENII SUI PRODUCTUM
SACRUM VULT**



**gratissimus
Auctor.**

Nomenclatura morbi.

Noma, a) nome (non nomas b)) ex ἡ νομή; seu ulcus depascens, proprie pascua ab animalibus depasta. Aliis cancer aquaticus, c. aquosus, (ob profluvium magnum salivae ex ore) cancrum oris, c. oris infantum, cancer scorbuticus, c. seu carcinoma labii, pseudo-cancer; c) noma infantum, noma oris; labrisulcium, d) labrosulcium e); cheilocace, f) ulocace, stomacace, stomacace gangraenosa; scorbutus oris; erosio gangraenosa oris; gangr. scorbutica, gangr. oris, seu oris interni, seu gingivarum; gangraenopsis; gangr. acutissima, cascosa, pulposa; stomatitis gangraenosa; anthrax gangr.; lacticinia; catarrhus

a) Optima morbi denominatio, imprimis, si epitheton putrida, gangraenosa, sphacelosa addatur. Brevitate sua se commendat, et iam apud Hippocratem νομαι, νομας, νομή, ulcera putrida, depascentia vocantur.

b) ὁ νομας, homo pastoritiam vitam ducens; plur. νομαδες.

c) C. Rust damnat nomen cancri, aut carcinomatis; nam morbus praesens praeter indolem malignam, vix quidquam cum carcinomate commune habet; differt vero rapido suo decursu, et aliis essentialibus symptomatibus.

d) e) f) Hae denominationes non valent, quia sub iis plures morbi confunduntur, et etiam tumor scrofulosus labii ita nominatus fuit.

ad gingivas. Hung. Vízrák. Germ. Wasserkrebs, Wasser-
 krebs des Mundes, scorbutisches Krebsgeschwür, unaech-
 ter Mundkrebs; Lippen-, Mund-, Wangen- und Kinder-
 Brand; bösesartiges faules umsichfressendes, gangraenöses,
 oder brandiges Lippen- und Mund-Geschwür der Kinder;
 scorbutisches Mundhöhlengeschwür; Brand des Zahnfleis-
 ches, der Mund- und Rachen-Höhle; sphacelöse Mund-
 fäule. Gall. Gangrène scorbutique des gencives des en-
 fans; Affection gangréneuse de la bouche particuliere aux
 enfans; Affect. gangr. de la joue; gangr. des gencives;
 charbon; ulcer malin de la bouche; Fegarité, fegerité,
 fegra. Angl. Cancer of the Mouth, in the Mouth; Mouth
 cancer; gangrenous erosion of the cheks; putrid ulcer.
 Holl. Waterkanker, Waterkraeft; verrottende ulceratie;
 corrosivyge ulceratie des Kinder-Monden, stinkende Kan-
 ker des Mondes; ineetende Zweeren; kwoad zweer. Dan.
 Wurmkraesta, Vattenkraesta, Vandkraeft; Lickmak, Lit-
 malken. Hisp. Fegar.



Brevis Nomae historia.

Apud Scriptores antiquos vix exactam morbi descriptionem invenimus. In Hippocratis operibus nullus reperitur locus, qui indicaret patri medicinae morbum notum fuisse. Vox quidem *nome* hic quoque occurrit, sed per illam non nisi ulcera serpentina intelliguntur. Vid. *Hippocratis Coi*. De praedictione Lib. 2. p. 372, et Lib. de vulneribus Edit. Basil. 1526. *Celsus, et Galenus* morbum novisse videntur. *Paulus Aegineta*: De re medica Lib. 4. Cap. 44. et Lib. 6. Cap. 85. *Oribasius*: de loc. affect. curat. Lib. 4. Cap. 68., et Synopseos Lib. 3. ubi de trochiscis agitur. *Actuarius*: de methodo medendi. Lib. 6. Cap. 7, et Lib. 4. Cap. 16. *Cassius*, in medic. problematibus. *Aetius*, Tetrabibli primo. Serm. 2. Cap. 6. item Tetrabib. 4. Serm. 2. Cap. 17. et eodem Serm. 4. Cap. 41, et 42, et eodem Serm. 2. Cap. 50. *Nicolaus Myrepsus Alexandrinus*. Sect. 35. Cap. 11, et 12. de rem. nardinis, nephriticis ect.; vocabulum *nome* commemorant; omnes attamen non nisi ulcera maligna, depascentia, non vero, morbum nostrum intelligunt.

Felix Pluterus: In praxeos medicae. T. 2. de doloribus. Basileae 1736, dum de dolore oris, agit, morbum recte describit. An *Laur. Heister*, in suis Inst. Chirurg. P. 2. C. 76. p. 635, sub nomine cancri depascentis labrorum nomam intelligat, merito dubitatur. Post hos auctores primam completam morbi descriptionem dederunt *Hollandi*, quos mox secuti sunt *Sueci, Dani, Galli, et*

Angli, Germani recentiori primum tempore ad morbum horrendam oculos converterunt; quamvis nec *Fabr. Hildano, Dolaeur* etc. morbus ignotus fuerit. *Siebert, et Klaatsch* rectius *Nomam* distinxerunt, adducentes simul differentias; quibus a scorbuto, et stomacace distingvatur. Exactam denique morbi monographiam nobis *A. L. Richter* suppeditavit. Recentissime vero *Wiegand* morbum descripsit:

Definitio Nomae.

Est autem Noma exulceratio specifica praecipue infantes (rarius adultos) debiles, cachecticos, irritabiles invadens, nisu singulari characterem gangraenosum, putridum induendi praedita, quae in alterutro angulo oris, (frequentius sinistro) vel labiis, partibusque iisdem contiguis initium sumens, rapide ad faciem, et gingivas progreditur; vel hic incipit ad partes externas, ipsa ossa maxillarum propagatur, omnia consumens, devastans; manifesta odore specifico, ingrato, cui aucta secretio salivae ichorosae iungitur.

Data Nomae definitio eo valet, quod maxime essentialia morbi characteres sistat, quos e multis eiusdem symptomatibus eruere eo magis arduum, quod morbus pro diversitate causarum, evolutionis, partis adfectae, status organismi totius, diversam exhibeat faciem; unde factum, ut diversis a variis auctoribus compellaretur nominibus, ut variae de natura morbi profferrentur sententiae, sicque diversis subordinaretur morborum generibus. Plurimi illum ut speciem scorbuti pertractarunt, alii simpliciter ad ulcera malae indolis retulerunt, multi identicum cum Stomacace putarunt, aut eidem ut speciem subiunxerunt. Plures nomine cancri aquatici seducti pro carcinomatis modi-

ficatione habuerunt. Alii denique naturae morbi non obliti morbum gangraenae adiecerunt.

Antequam tamen de natura morbi quidpiam verborum faciamus, causas morbi eruere, evolutionem et decursum morbi describere haud supervacaneum putamus.

Aetiologia.

Data dispositione in morbum, posita per aetatem infantilem, (fors dentitionis periodum) et constitutionem corporis infirmam, laxam; omnes influxus externi universim debilitando agentes, atque decomponentes quodammodo debitam humorum crasim causae excitantes nomaevae evadere possunt; quae sangvificationem impediendo normali nutritioni obices ponunt, vegetationem labefaciunt, prosterunt. Unde victus pravus qualiscunque demum, habitatio in aere corrupto, impuro, humido; mundities neglecta, defectus motus, morbi debilitantes, uti febres intermittentes gastricae biliosae catarrhales cum caractere nervoso, febres verminosae, abusus remediorum debilitantium merito ut causae morbi atrocis accusantur, unde non mirum, si brephotrophiorum, orphanotrophiorum, littoralium, regionum egestate pressarum, et in genere plebis miserae morbus sit flagellum exitiale non minus, ac frequens. Ut morbi causa peculiaris adducuntur et stimuli gastrici, et scorbutus a multis cum noma pro morbo identico habitus, unde et nomen stomacace gangraenosa cancro aquatico tributum. Sed et morbi acuti, imprimis exanthemata, quatenus gangraenam metastatice inducere valent et Nomam producere possunt, quod tamen ut Rust animadvertit largiori calomelae usui in his morbis consueto tribuendum. His accedunt, saepe et minus momentosae organismi adfectiones, quae morbo ansam dederunt. Nam testantibus auctoribus *Rust*, *Fischer*, *Siebert*, et

post adfectiones rheumaticas, catarrhalesque, imo et organismo nulla prorsus labe adfecto morbus evolutus est. Quamvis vero haec momenta causalia passim ad Nomam evolvendam concurrant, neque tamen exclusive ab omnibus auctoribus, ut talia assumuntur. Nam morbus nec unice aetati infantili proprius est. Sic refertur casus in *Graefe's et Walther's Journal* B. 12. H. 4. S. 574. iuvenis 18 annorum noma magno in gradu adfecti. — Nec mundities neglecta, habitatio in aëre impuro, victus prae-
 vus maximam ad morbum evolvendum symbolam conferre dicuntur. Sic in *Hecker's Literarische Annalen der gesammten Heilkunde* B. 13. S. 428. practicus quidam medicus causam nomae ponit in miasmate peculiari; quod ex cohabitatione plurimum infantum in brephotrophiis evolvitur; ubi morbum dicit esse frequentem, licet omnia ad dietam spectantia strictissime coordinarentur; rarissimum e contra inter homines miseros etiam, extra nosocomium constitutos, ubi nec aëris puritatis, nec munditiei, nec regiminis diaetetici tanta cura haberi potest. Dicitur autem omnium miasmatum evolutioni favere imprimis communionem plurimum hominum eiusdem aetatis, aut eiusdem sexus; quod in brephotrophiis utique obtinet; verum et hic imprimis infantes scrofulosi morbo diro expositi dicuntur. Si tamen perpendamus in locis, ubi multi homines accumulatur potentias diaeteticas haud debite regulari posse; quod valet etiam de brephotrophiis optime coordinatis: ex non recta vero eorum observantia miasmata generari, patet, dum miasma ut causa morbi statuitur, nihil prorsus novi adseri; sed dictas potentias nocentes, quae etiam extra brephotrophia Nomam producere valent, ut causas remotiores praecessisse. — Post morbos debilitantes praegressos, in specie vero post febres morbum evolutum fuisse negari non potest. Uti in *Graefe's*

et *Walther's Journal* loco cit. duo casus Nomae adferuntur post febres praegressas evolutae. An vero febres hae dispositionem solum in morbum induxerint; vel organismus infantilis ita constitutus fuerit, ut et febris et Nomae evolutioni occasionem daret; ut itaque uterque morbus e fonte communi proflueret, certo definiri nequit. — In eodem opere periodico eodem loco dentitio ad morbum contribuere dicitur eo, quod hac congestio humorum ad organa dentitionis fiat, inde vero hyperirritatio partium dictarum oriatur, ex hac vero mors partialis; inversa ratione, ut in gangraena senili, ubi irritabilitas et nutritio deficiens eundem effectum producit. — Observatio adtentione digna, neque tamen promiscue physiologico dentitionis tribuenda processui. — Asserto, quo adstruitur copiosum calomelae usum ad Nomam conferre, contradicunt *Stoll*, *Luning* et *Behr*. Nam odor hydrargyroseos longe differt ab odore putrido Nomae, ulcera per mercurium inducta, illis canceri aquatici similia non sunt, et *Luning* sub initium morbi calomelam bono effectum adhibuit. Vid. *Rust's* et *Kasper's* kritisches Repert. der gesamt. Heilkunde B. 21. H. 1. S. 202. Negari tamen non potest, calomelam, quatenus abusus eius resolutionem universo imprimit organismo, morbi propagationem accelerare. *Dr. Meza* causam Nomae in acredine humorum scorbutico-rachitica ponit; hanc oriri asserit apud soboles infimae plebis ab esu farinosorum, caseosorum; lardaceorum ciborum. Vid. *Sammlung auserlesener Abhandl.* zum Gebrauche practischer Aerzte. B. 14. St. 3. S. 518. Quamvis opinioni auctoris non abnuamus, non tamen unicam causam morbi adstruere possumus.

Si sedem, quam Noma sibi praecipue eligit respiciamus, videmus eam labia oris, partesque eidem adiacentes occupare, quae omnes tenerae, laxae, diathesium

morbosarum infantili organismo impressasum saepissime velut reflexus constituunt. Unde solum in tenera debili, oculis caesiis, capillis flavis instructa sobole mascula imprimis a 1-0 ad 10 aetatis annum morbus frequens; dum prima infantilis aetas, quae uberibus alitur; pueri annum 10 aetatis egressi, genitalia tenera feminina vix unquam morbi diri evadunt praeda. Cur morbus in sinistro latere faciei, ut scirrhus verus evolvatur imprimis, eius causa ignoratur. (*Encyclopedisch. Wörterbuch. d. medizinisch. Wissensch. v. Berl. Prof. 6B. art. Cancer aquat. 1589.*) Verum et haec adserta exceptiones patiuntur. Sic in casu superius allato 18 annorum iuvenis noma adfectus fuit. Morbum nomae similem et vulvam adficere, Jos. Jac. Plenck in doctrina de morbis cutaneis, in specie de aphtis testatur. Minori adhuc iure Nomam solis pueris adtribuere possumus. Nam licet; in *Orvosi Tár* 1. Kötet, 1. Füzet 1831. a Dr. Pólya, quatuor casus adducantur puerorum Noma laborantium; e contra tamen in *Graefe's et Walther's Journal B. 13. H. 1. S. 39* puella 5, et alia 10 annorum morbo dirò correpta fuit.

Diagnosis morbi.

Diagnosim Nomae, quod adinet, eadem in morbo stadiis haud adstricto, atque iam manifestationem affectionis diu praegressae universalis organismi sistente; iam causis enumeratis praecedentibus pro se rapide evoluto, nihilo magis, quam ardua esse potest. *A. L. Richter* momentorum causalium ratione habita tres morbi formas statuit; quas hic referre cum ad faciliorem morbi diagnosim ducant, non incongruum existimamus, tanto magis; quod comparatione omnium trium morbi formarum instituta, notae morbi communes facilius pateant; sicque difficilis de natura nomae quaestio solutu faciliior reddatur.

I. Noma scorbutica, Stomacacæ gangraenosa infantum scorbutica.

Haec forma Cancris aquatici cum prodromis scorbutici incipit. Si proin causis scorbutico excitando capacibus praegressis, infans debilitatem universalem, appetitum prostratum accusat; si sputare frequentius cogitur, manus ori admovet, ore odorem cadaverosum spirat, accedente salivatione eidem a mercurio inducta simili, quae odorem secundum *Isnard-Cevoule*, qualis ferarum caro, spargit; si inquam haec symptomata praecedunt, merito suspicio de Noma evolvenda oritur, etiamsi externe nulla eius signa appareant. — Cavum oris nunc penitus inspectum exhibet glandulas salivales cum gingivis tumidas, atro-rubras, calentes, dolorificas; facile sanguinem plorantes; dentes vacillant mucro sordido obsidentur. Quae signa, quibus et febris et diarrhoea et sudores nocturni accedunt, semper quidem maiorem morbi suspicionem inducunt; attamen Nomae iam iam incipientis symptomata haud sunt. Morbus namque ipse cum maculis cinereis plumbeis maxillarum regiones tenentibus incipit. Maculae auctae fuscantur; confluunt, exulcerationi gangraenosae originem praebent. Morbo increscente solvuntur partes gingivarum, ossa maxillaria denudata necrosis subit, et si vita servatur aegri, portiones maxillarum secedunt; sed ulceratio et ad partes externas procedit, labia occupat, consumit; saepeque tam celeri progreditur passu ut intra tres, septemve dies, deorsum collum occupaverit, ut *Saviard* adnotavit; sursum trans nasum adscenderit, ut *van Lu Capdeville* monet; atque ad oculos, docente *Stelwagen* propagaretur. Dum malum eo processit, dentes decalvantur, lingua faucesque de horrido participant morbo. (*Muys van Swieten*.) Nunc dum limites non ponuntur, malo foetorem intolerabilem

excitante, febris nervosa lenta sub diversis colliquationis symptomatibus inter 8 et 14 ab eruptione morbi diem, miseram infantis concludit vitam.

II. Noma metastatica.

Non in gingivis; sed profunde in partibus mollibus cavum oris componentibus, initium sumit, atque secundum plurimos C. C. Auctores malum posthumum exanthematum acutorum est. Utpote: variolarum, (*Dolaeus*) scarlatinae, (*Wendt, Willan, Busch*) morbillorum, ^{a)} (*Lymonds, Fischer, Huxham, Behr*) rubeolae. (*Rey.*) Ex morbis his imperfecte reconvalescens aeger praeter sensum aegritudinis vix aliquod symptoma morbi universalis praese fert. Ast in partibus mollibus cavi oris observatur tumor parvus duriusculus, doloris fere expers tanquam unicum signum topicum morbi gravis. Si Noma in labio, vel bucca primum inchoat, adest macula rubra serius livida, gangraenescens. Tumor nominatus spatio duarum, trium dierum increscit, durior rubriorque fit, atque tunc facies interior genarum tumori respondens livescit, et feбри accedente nimis foetet, habitum sordidum, putridum induens. In ulteriori etiam propagatione morbi, cuius extensio ru-

a) Juxta Berliner Zeitung regnavit morbus mense Julio 1828 in Tilsit inter infantes, quem medici *cancrem siccum* (trockner krebs) nominarunt, corripuit infantes illos, qui anno elapso e morbillis imperfecte reconvaluerunt; atque notabatur eo, quod partes faciei, nasi, oris, aurium, oculorum destructae secesserint, adpetitus tamen cibi ad mortem perstitit. Prima symptomata morbi fuerunt maculae caeruleae. Vid Rust's et Kasper's Kritisch. Repert. d. gesam. Heilk. B. 21. H. 1. S. 202. Hinc patet Nomam metastaticam etiam epidemice grassari post exanthemata acuta.

hore ultro procedente designatur, adpetitus viget; ipsa pars adfecta dein grisea evadit, mox vero nigrescit, gangraenosa redditur. Dum morbus eum adsequitur gradum, a partibus externis interiora versus, contrario plane modo ut in Noma scorbutica ad gingivas propagatur, easdem plane devastationes inducens ut cancer scorbuticus, raro tamen necrosim ossium maxillarium inducit. Neque desiderantur nunc symptomata febris adfectionibus nervosis stipatae aegrum in summo exhaustionis et colliquationis gradu constitutum morti tradentis.

III Noma gastrica.

Hanc A. L. Richter inter utramque nominatam medicinam ponit: manifesta sit praecipue symptomatibus gastricis, eius eruptionem praecedentibus, decursum comitantibus; praeterea eo, quod praesente salivatione, atque odore ingrattissimo ut in Noma scorbutica morbus non in gingivis; sed parietibus internis cavi oris forma aphtharum lividarum incipiat, quae ruptae ulcus impurum margine rubro cinctum exhibent; atque ulterius partes vicinas devastant ita, ut in altiori morbi gradu vix ullum symptoma exhibeant, quo a prioribus Nomae formis distingvantur.

Tribus descriptis Nomae formis inter se comparatis, patet, easdem quoad essentiam eundem morbum constituerent, atque distinctioni adductae causalia solum momenta occasionem praebuisse. Quare eodem fors iure et Noma catarrhalis et mercurialis, et species Nomae exanthematicae diversae statui possent. Ast longe adhuc aliae exsurgunt morbi differentiae, si nomam ut ulcus consideremus, quod pro ratione evolutionis, in gangraenam vel sanitatem transitus diversam exhibeat faciem est necesse. Verum ipsam etiam gangraenam iam evolutam, partes organicas vel mumiae instar exsiccantem, vel cum uberiori liquidi

secretione putredini tradentem; vel gradum sistentem, et limitibus constrictam, aut ulterius propagatam varia organa depascentem, morbos diversos posthumeros invitantem variis differentiis occasionem praebere posse quis non videat?

Quare auctoribus pluribus, quin diversae Nomae species statuuntur morbus sequenti ratione oritur: incipit cum macula brunea, vel vesicula alba magnitudine lentis, utraque halone rubro cingitur; quin pars adfecta notabiliter tumeat. Eruptionem harum efflorescentiarum iam longiori iam breviori tempore saepe sensatio doloris obscuri in labiis, vel genis praecedit, aut halitus oris foetidus adest cum salivae secretionem aucta, atque nunc primum tumore labiorum, genarumque increscente dictae eruptiones locum habent; hae mox in gangraenam abeunt, vel siccam, vel humidam: prout nempe mali origo, vel ab integumentis communibus labiorum, genarumque; vel interne a membrana mucosa earundem partium, gingivarumque incipit. Tumore rubro duro increscente macula livida decedit, vesicula rumpitur, cui ulcus gangraenosum cum marginibus lardaceis succedit partes vicinas morti tradens: unde portiones partium tam mollium, quam durarum emortuae secedunt. Has saepe infans magna aviditate decerpit, cuius appetitus nunc quoque adhuc viget, imo nonnunquam fames maior observata fuit: quin eodem gradu caenesthesis morborum infans adficeretur. Cum partes durae ossa nempe maxillaria morbo adfecta destruuntur et partialiter secedunt, id non efficitur per emolliationem morbosam eorundem, seu sic dictam Osteomalaciam; sed potius per Osteoporosim vel Osteopsathyrosim; destructionis modum, quo ossa magis porosa, fragilia evadunt. Est vero haec partium durarum mors prout ab osteomalacia, ita ab osteoclerosi, qua textus ossium durior, solidior-

que; dum calcaria in interstitia illorum penetrat, evadit, diversa, *necrosi* non parum adlinis. — Partes molles dum vita privantur madentis corii, quale cheirothecis aptum est, imaginem referunt. Ceterum decompositio tam mollium, quam durarum partium tam rapide procedit, ut mox toto latere faciei putredine sphacelosa destructo, infans tetrum ab hominis forma abhorrentem exhibeat adspectum. Dum ab internis partibus cavi oris morbus procedit, tunc quia partes tumidae durae impediunt quominus os hiare possit, morbus initio non facile cognosci potest, neque therapiam hanc ob causam indicatam admittit, atque facile cum stomacace confundi posset: verum dirigunt diagnosim hoc quoque in casu dolor exiguus non nisi per ingestionem alimentorum excitandus, effluxus salivae densae viscosae, floecis membranarum emortuarum iunctae, foetorem cadaverosum excitantis. Sed in ulteriori malo externe superius dicta comparent morbum gravem indicantia. His adeo incrementibus, ut parietes anteriores faciei consumantur, tunc primum ingens devastatio partium internarum visui se sistit. Vid. *Encyclop. Wörterb. d. medizinis. Wissensch. v. d. Prof. d. mediz. Facul. z. Berlin. 6. B. Art. Cancer aquat. S. 589. et Rust's Theoret. - practisch. Handb. d. Chir. 3. B. Art. Cancer aquaticus. S. 476.* Exactam hanc, ut in praesentibus licet morbi descriptionem imprimis recentioribus in acceptis referimus; quin tamen negemus et antiquiores morbi habuisse ideam. Nam non commemorando Auctores antiquissimos, qui nomam pro ulcere maligno habuerunt *Felicem Plat-terum* adduxisse placet. Hic in *Praxeos medicae Lib. 2. De Doloribus Basileae 1756* dum de dolore oris agit. Cap. 7. p. 306. dicit: „Ulcus malignum ex aphtis sordidis neglectis, in infantibus praesertim aliisve de causis natum, gingivas fere sine dolore aut non magno occupat: quod

cancrum gingivarum, herpetem exedentem *Rhasis* Germani Durchfeule vocant. Purulentum et album primum est, mox flavescit, inde nigrescit, serpit et cavernosum fit, gingivasque eo loco, ubi est penitus depascitur, saepe et subiectam maxillam vitians in sphacelum abit: a qua corruptam portionem illius cum dentibus a reliqua maxilla abscedentem exentam vidi: unde facies postea eo loco deformata manet. Haec bona Nomae descriptio tanto maiorem meretur attentionem, quod morbus a multis recentioribus etiam auctoribus cum scorbuto pro una eademque adfectione morbosa habitus, nec distincte pertractatus fuerit. Idem vero auctor ultro dicit occurrere etiam exulcerationes gingivarum scorbuticas; quae etiam partes cavi oris devastant. *Ger. Van-Swieten*, qui primus nomae exactam dedit descriptionem in Commentariis suis in *Aphonomos Boerhawi*. T. 3. p. 235 Wirceburgi 1787. sub nomine *gangraenae oris interni* morbum describit, dicitque ob copiosum salivosi liquidi profluvium Cancrum aquaticum compellatum fuisse. Ultro loquitur malum saepe esse epidemicum homines imprimis cacochimia scorbutica adfectos invadens. *Jos. Jac. Plenck*, in *Doctrina de morbis dentium ac gingivarum* Viennae 1778. praeter stomacace species diversas, adfert etiam p. 100 necrosim gingivarum, quae cum nostro morbo utique convenit. Distinguit vero sequentes necrosis gingivarum species: a) N. a parulide. b) N. a dentitione. c) N. scorbutica. d) N. epidemica infantum. e) N. morbiliosa. f) N. variolosa. g) N. a febris putrida. Species hae necrosis seu stomacace gangraenosae ubique gangraenam supponunt; atque eorum differentiae nonnisi diversitati causarum superstruuntur. Idem auctor in *Doctrina: de morbis cutaneis* Viennae 1776. *Nomam* ad primam classem morborum cutaneorum, ad maculas quippe refert, atque morbum, vel in gena apud in-

fantes, vel in vulva apud puellas oriri asserit, qui mox in sphacelum dictarum partium abit. — Porro in eodem Libro in Classe 10 morborum cutaneorum, quae ulcera cutanea complectitur; aphtis, in specie aphtae scorbuticae etiam Cancrum aquaticum adiungit, qui ut dicit nihil aliud est, quam magna aphta in gangraenam buccarum et labiorum transiens. — *G. A. Richter* in sua *Ther. spec.* Nomam scorbuto subiungit. *C. Hildenbrand* ut speciem stomacaciae pertractat. Cum vero multis auctoribus noma idem plane morbus cum *Stomacace* sit, differentias utriusque adferre iuvat. *Stomacace* enim proprium morbum constituit membranae mucosae cavi oris in specie gingivarum, quae caerulescunt intumescunt, ulcusculis superficialibus obsidentur; haec quidem ultro propagata devastationem eidem Nomae similem producere possunt; semper tamen lento suo decursu ab eadem differunt, et characterem ulcerum quidem phagaedemicorum, non vero gangraenosorum referunt. Ipse transitus stomacace in Nomam a nonnullis assumtus problematicus est; hoc enim posito Cancrum aquaticum, prout stomacace frequentiore observaremus. Proinde si vocabulo stomacace, qua synonymo morbi nostri uteremur addendum semper esset epitheton *gangraenosa*. Atque hoc suo characterem, si noma externe forma pustulae oriatur, convenit cum pustula maligna, in qua aequae absque inflammatione mox gangraena oritur. Vid. *Graefe's* et *Walther's Journ. d. Chir. u. Augenh.* B. 13. H. 1; S. 39—40.

Sectionis Resultata.

Autopsia in cadavere e Noma mortuorum, cum sectiones haud frequentes institutae fuerint, vix certa nobis suppeditat resultata. In aliquot casibus praeter localem devastationem nihil attentione peculiari dignum repertum est.

Aderat nempe destructio ei similis, quae in aliis partibus gangraena adfectis locum habet. In separatione tamen partium gangraenosarum saepe guttae oleosae conspiciebantur, et infiltratio liquidi serosi in vicinum textum cellulosem visui se stitit. Partium adfectarum vero devastatio saepe tanta erat, qualis durante vita vix cogitari potuit. Ipsae partes destructae imaginem diversam exhibuerunt, tam pro ratione gradus et stadii morbi, atque universalis colliquationis gradu: quam pro diversa, quam subiverunt decompositionis specie. Quae autem investigatio trium praecipuorum cavorum corporis docuit, eadem fere sunt, quae in cadaveribus alia morte defunctorum reperiuntur. Singulare tamen videtur in hoc morbo saepe intra paucos dies decurrente, tam notabiles mutationes in visceribus nobilioribus reperire; quamvis et hic dubium adhuc maneat, an non praecedentium malorum sequelas sistant. His accedit: repertas exsudationes serosas in encephalo, concreta viscerum diversas, eadem sanguine vacua et relaxata in uno casu; indurata e contra in alio etc. phaenomena morbosa talia esse, quae in multis aliis cadaveribus occurrunt, neque resultati alicuius in nexu causali cum morbo existentis vices obire possunt. Vid. Encyclop. Wörterb. d. medicinisch. Wissenschaft, loco cit. — In *Graefe's u. Walther's Journ. d. Chir. u. Augenh.* B. 14. H. 1. S. 35. Autopsia in cadavere puellae 5 annorum e noma mortuae sequentia docuit: praeter emaciationem universalem, tumorem faciei oedematosum, localis partium devastatio maxima erat, maxima faciei pars consumpta tetrum exhibuit aspectum, mirumque videbatur puellam tamdiu vivere potuisse. Meninges sanguine turgebant, atque inter utramque illarum faciem seri quantitas notabilis conspiciebatur. Cerebrum fuit molle, cuius ventriculi aequae serum copiosum continebant. Cerebellum non fuit ita molle, nec

resolutum. Cor flaccidum sanguine vacuum, pallidum ut pericardium. Pulmones sanguine destituti, pallidi in casu praesenti tubercula continebant, ex quibus quaedam emolli videbantur. In abdomine aliquae erant abnormitates uti: omentum cum intestinis concretum hydatides continebat et multas glandulas induratas. Pancreas fuit induratum. — In *Hecker's litterarische Annalen* loco cit. Praeter adfectionem localem, notatu dignum erat; in cadavere citissime putredinem ingruisse; rigiditas praeterea cadaveris consveta iam 3-o infra Zerum T. R. disparuit. Accidentalialia fuerunt; aqua in pericardio, concretio pulmonum cum pleura, hepar grande; intususceptio in medio ilei et augmentum glandularum mesentericarum. — Haec signa in cadavere reperta parvam morbo adfundunt lucem; ad cuius tamen nunc naturam et causam proximam eruendam transeundum est.

Natura Nomae.

Dum hucusque dicta praecata revolvimus mente, ad id inducimur, ut cum A. L. *Richter* Nomam pro *ulcere sphaceloso, gangraenoso* declaremus, Hoc indicant:

- 1-o Asthenica inflammatio gangraenam praecedens, probe distingvenda a linea demarcationis inflammatoria gangraenam sub exitu Nomae felici limitante.
- 2-o Odor ulceri sphaceloso proprius.
- 3-o Habitus partium mollium gangraenae faciem prae se ferens.
- 4-o Necrosis partialis ossium sub maiori morbi evolutione.
- 5-o Totus morbi decursus, inflammatio salutaris in circumferentia gangraenae orta, partes tam molles, quam duras medio suppurationis solvens, separans.

Aliqui distinguunt ulcus, ex quo Noma oritur in *gangraenosum* et *sphacelosum*; *gangraenosum* dicunt; dum morbus in prima sua origine maculam rubram refert, quae mox livida, plumbea, cinerea, brunea, et sphacelosa fit. — Memoratu dignum est: Nomam in uno casu etiam ex *carcinomate* labii et faciei multum evoluto ortam fuisse. Ut hoc refert *Dr. Hueter* in *Graefe's und Walther's Journal*. B. 13. St. 1. S. 68. ubi etiam demonstrare conatur, quod Noma pro infantibus idem morbus sit, qui carcinoma labii pro adultis. In casu allato Jodina et mercurius contra carcinoma adhibita hyperirritationem partis adfectae inducentia transitui carcinomatis in nomam ansam dedisse dicitur.

Alii naturam morbi in *emolliitione morbosa*, illa *Gastromalaciae*, vel *stauti putrido* uteri simili posuerunt. His non decompositio chemica inflammationem excipiens, in noma utique locum habens, in morbo hoc obtinet; sed nutritionis perturbatio, aut plenaria abolitio adest, atque topica partium annihilatio, vitae vegetativae regressus naturam morbi constituit. Sententiam hanc propugnarunt *Klaatsch* et *Hesse* (vid. *Hufeland's Journal*. d. practisch. Heilkunde B. 56. St. 1. S. 100. u. St. 2. S. 48.) Verum licet admittamus vegetationis regressum hic utique adesse; eum tamen non nisi causam gangraenam praeparantem, invitantem constituere.

Auctoribus nunc nominatis adhaeret et *Dr. Sundelin* in *C. A. V. Berend's Vorlesungen über praktische Arzneiwissens*. F. B. 1. Supplem. B. h. v. *Dr. Sundelin*. Hic Sententiam *Richteri*, qua morbus pro Stomacace gangraenosa (ulcere gangraenoso) declaratur sequenti ratione impugnanare conatur: Licet in gastromalacia odor cadaverosus absit, neque hic tamen aeri aditus patet, qui aer non ut *Richter* vult nullam mutationem chemicam inducit. Neque

tumor Nomae, quem *Richter* pro tumore inflammationis asthenicae habet, eidem similis est, sed potius convenit cum tumore textus cellulosi indurati. Ultra dicit conversionem partium adfectarum in massam gelatinosam, quam *Richter* negat, observatam fuisse ab aliis observatoribus. Necrosim ossium in Noma observatam dicit effectum esse aeris atmosphaerici et ichoris secreti; nam consumptis partibus mollibus os denudatum, horum actioni exponitur, atque parte sua nutriente scilicet periostio spoliatur. Nec ipsa linea demarcationis in hoc morbo, prout aliis gangraenis, obtinens, in emollitione vero morbosa ventriculi deficiens, naturam gangraenosam partium demonstrat. Nam noma occupat partes nervis et vasis copiosissimis praeditas, quae morbosae aliter se habeant, quam ventriculus, est necesse. — Eadem fere ratione et *V. J. Wiegand*, qui morbum *Stomatomalaciam putridam* vocat sententiam *A. L. Richter* impugnat. — Verum ut *A. L. Richter* dicit ipsum epitheton *putridum* destructionem gangraenosam designat; praeterea vix conceptibile est, ut per actionem salivae abnormis et aeris accessum odor ulceris gangraenosus evadat. Nam in hydrargyrosi salivae secretio profusissima exulcerationes ulique magnas, non tamen Noman producit. — Partium organicarum homogeneitas, quae in emollitionibus morborum observatur, et in cancro aquatico obtinet; etiam in partibus gangraena correptis locum habet; praeterea in infante cachectico, qui subiectum morbi est, nec in sano statu partes organicae notabile exhibent discrimen. — Necrosim, quam *Wiegand* negat in Noma adesse; cum partes utique ossium saepe fragiliores, molliores evadant, admittemus, si consideraverimus, necrosim saepe cum carie ossium coexistere; carie vero ossa emolli, quo sic absorptioni idonea reddantur, nemo est, qui neget. Lineam demarcationis etiam *Wiegand* admittit in

emollitione morbosa, si haec sanetur, proinde huic, et gangraenae communis est. Vid. *Hecker's* litterar. Annalen d. gesam. Heilk. B. 16. S. 328.

Tertia opinio de natura Nomae illorum est, qui dicunt eandem naturae scorbuticae esse, uti: *Van Swieten*, *Berthe*, et recentius *Raiman*, *Hildebrand*, *Chelius* et alii. Quamvis scorbutica dispositio prout aliae discrasiae morbi evolutioni imprimis faveat; sine ea tamen aequè morbus evolvi potest et saepe dum Noma adfuit, nulla scorbutum denotantia symptomata observabantur; prout in scorbuto vero devastationes Nomae propriae desiderabantur. Species tamen Nomae scorbutica (Gangrène scorbutique de Gencives) veram Nomae speciem forma solùm ab aliis diversam exhibet.

Denique Dr. *Sundelin* loco cit. Ubi essentiam Nomae in emollitione morbosa ponit, ipsius emollitionis causam proximam esse asserit: biochemicum influxum nervorum in partes adfectas, similem illi, qui in aliis emollitionibus morborum locum habet. Nam systema nervosum non tantum magnam suam symbolam confert ad metamorphosim progredientem producendis materiis organicis intentam; sed non minorem etiam ad metamorphosim regredientem separationi dicatam partium natura organica privatarum; quae partes, ut dicitur, in lixivio a crystallisatione animali residuae per varia colatoria organismi excernuntur. — Systema vero nervosum influere in qualitatem se- et excretorum multa exempla demonstrant, ubi ex adfectione nervorum se- et excretionem mutatam fuisse clare videtur. Quis ignorat irae, terroris, furoris influxum in secretionem salivae, lactis, bilis? Sic et mitis secretio in ulcere artificiali, acrior evadit, si id actioni galvanismi exponatur. — His praemissis Systema nervosum, qua verus motor omnis vegetationis et reproductionis, si irritatum ak-

teratum; abnormiter constitutum sit, vegetationem et reproductionem pervertere debet. In morbo vero praesenti in specie rami nervi trigemini adfecti esse videntur, imprimis nervus maxillaris inferior, qui angulos oris providet, nervus lingualis et auricularis, qui ultimus glandulis salivalibus dicatus est. Hoc praesupposito et secretio salivae quantitative et qualitative abnormis suum habet explicatum. In quo vero haec adfectio nervi trigemini consistat, id idem auctor ex remotis causis nomae explicare conatur; asserens: aerem depravatum, victum malum, saburralem stimulum, totum vegetationis processum ita pervertere, ut ipsa crasis et vegetatio substantiae nerveae alteretur. Sed alterationem hanc substantiae nerveae etiam metastates in eandem factae sub decursu exanthematum acutorum, rheumatismi, etc. producere possunt: unde Noma metastatica oritur. Si nunc mutationem hanc in substantia nervea contingentem admittamus, et secretio salivae quantitative et qualitative abnormis clara fit; sed acris haec et corrupta saliva, qua partes adfectae continuo macerantur insons esse haud potest; sed ultro partes vicinas in corruptionem invitat; atque haec est causa cur partes morbosae diversum, quam in emollitione morbosa habitum referant. — Ultimo Auctor primariam hanc et praecipuam adfectionem systematis nervosi demonstrat per adducta symptomata per decursum morbi locum habentia, qualia sunt: animus tristis, male adfectus ante eruptionem morbi, de lassatio corporis, mutatio lineamentorum faciei, in specie illorum, quibus rami nervi trigemini moderantur; (uti sunt rugae ad angulos oris) porro dolores ante comparitionem morbi, febris characteris nervosi, et tandem subita comparitio Nomae metastaticae. — Videtur vero Auctori biochemicus hic influxus nervorum, affectorum, ut in aliis emollitionibus morborum, eidem galvanismi similis. Syste-

ma nervosum in morbo praesenti, prout in omnibus morbis, tam organicis, quam dynamicis magnum habere influxum negari non potest; sed in quo hic nervorum influxus consistat, ignoramus; proinde tanto minus sententiae Auctoris adstipulari possumus, quod emollitionem morbosam, quam Auctor in Noma assumit, ex superius dictis non, admittamus.

Prognosis Morbi.

Haec saepissime infausta est, cum morbus sit imprimis infantum debilium, miserorum scrofulosorum, quorum organismus per praegressos morbos universales debilitatus est. Quare intra 5 — 14 dies post eruptionem localem frequenter morte finitur. Imprimis memorabilis est morbi recidiva aegris funesta. — Sic in *Orvosi Tár* 1831 1. kötet, 1. Füzet, enarrantur historiae puerorum noma adfectorum 4, qui in clinico chirurgico R. S. Universitatis tractabantur tali effectu, ut ubique limites morbo positi fuerint; in duobus tamen morbus recruduit et morti tradidit aegros; similes casus narrantur et in Germania. Noma gastrica ceteris mitior est. Si macula livida adhuc adest et tumor genae primum evolvitur, sanitatem possibilem esse *A. L. Richter* docuit. Omnium tamen maxime dum de probabili Nomae exitu sermo est aetatis ratio habenda; tenerior enim aetas plerumque morbi diri evadit praeda. Cur vero aetas iunior morbo gravius adficiatur, faciliusque succumbat, eius causae adferuntur: in *Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauche für practische Aerzte* 2. B. 4. St. S. 62. de 1776, ubi de Stomacace gangraenosa sermo est. Hic causa infausti eventus ponitur in peculiari constitutione debili, tenera, laxa, maiori humorum abundantia organismi infantilis; vel potius in non observantia regiminis diaetetici recti. Infantes enim ignari eorum,

quae sibi nocent, partem adfectam continuo irritant, eandem lingua contingendo, sugendo, manibus contrectando, partes demortuas avellendo, easdem prout et ichorem secretum deglutiendo, sicque propagationi corruptionis putridae occasionem praebent. His accedit, quod incongrua comportandi ratio apud infantes, remediorum indicatorum, uti collutoriorum, fomentorum ect. adplicationem aut difficultet, aut verò penitus impediat. Infaustiore esse prognosim in infantibus etiam *G. A. Richter* in sua *Th. Spe.* testatur, dicit enim, quod gradus maior morbi tantum in infantibus occurrat et quidem lactantibus etiam; apud adultos etiamsi gangraena in partibus adfectis oritur, nunquam tamen lethali effectu finitur morbus. Faustius praeterea in Noma praesagium, si statim indicatae therapiae imprimis topicae locus sit, prius quam morbus magnam nanciscatur extensionem; imo hac quoque praesente, dummodo status universalis aegri laudabilis, adsit, statu colliquativo omni absente. Atque dum morbi gradus sistitur, partes amissae citissime reproducantur, absque cicatricum notabiliorum vestigiis relictis.

Therapia Nomae.

Cura prophylactica in hoc morbo vix locum habere potest; difficile enim est morbum in primo initio cognoscere, tanto magis evolvendum primum praesagire. Quis enim levem inflammationem athenicam, seu in externis seu internis parietibus cavi oris exortam, in miseris debilibus, scrofulosis infantibus praegressis morbis debilitantibus, qui saepe longius evolutionem mali praecesserunt statim pro initio Nomae declarabit? Si tamen per prophylacticam curam intelligamus, Cansarum tam praedisponentium, quam excitantium amotionem, haec utique ita ne-

cessaria est; ut nunquam cito satis effectui dari possit; hoc imprimis valet, praecipue ubi morbus epidemice grassatur, de coordinatione recta potentiarum diaeteticarum; victus scilicet, habitationis et aeris atmosphaerici. Antequam Noma evolvatur in 1-a Stadii inflammationis asthenicae origine, si haec cognoscatur, a plurimis scarrificatio svadetur, qua oppletio sanguinis topica in parte adfecta locum habens, tollatur. Interim tamen hac methodo rapidam morbi evolutionem haud praecaveri posse, alii Auctores docent. Ideoque dum mali eruptionem suspicantur, praeter sacculos herbis resolventibus, aromaticis infarctos, moderate calentes, collutoria ex herbis similibus, vix quidquam topice adhibendum esse svadent, curam universalem secundum symptomata praevaletia Status universalis organismi dirigentes.

In morbo iam evoluto cura Nomae aequae duplex est: universalis alia, alia topica.

Quamvis curam universalem multi parvi aestiment, utpote; quae tarde solum effectum salutarem in partem affectam exserere possit; attamen experientia docet per remedia universalia curam topicam multum adiuvari. Hoc veritati omnino conforme esse vel ex eo patet, quod in plurimis noma adfectis subsit diathesis morbosa therapia universali oppugnanda. Si vero in trutinam sumamus diatheses has diversas esse; neque mirabimur specifica remedia nomae opponenda haud obtinere. Alia igitur Nomae cura adhibenda erit, cui gastricus status subest; alia, quam scorbutus invitat; alia denique, quam exanthemata imperfecte sanata produxerunt: habendo tamen semper rationem Status virium universalium, qui in debito tenore sustinendus est. Quare cura universalis partim remediis emeticis, purgantibus, aliisque antigastricis, dum status gastricus obtinet, absolvitur; partim consistit in mitioribus chi-

nae praeparatis, imprimis vero acidis mineralibus, vegetabilibusque; dum scorbutus morbo occasionem dedit. In metastatica tamen noma functio cutis expedienda per remedia diaphoretica, uti: Camphoram, ammonium, serius derivantia, laxantia utiliter adhibentur. Charactere nervoso praesente stimulantium volatilium, antinervinorum indicatio adest. In omni autem casu debilitas fors emergens remediis roborantibus, stomachicis impugnanda veniet. Hoc vero in casu omnibus palmam praeripit cortex peruvianus, si debita forma, dosi exhibeatur, et contraindicatio debita habeatur respectus. Forma pulveris china ab infantibus vix fertur, et eisdem debita dosi exhiberi vix potest. In hoc casu svadentur sales chinae; vel infusum corticis cum aliis remediis aromaticis, quo transitus fit ad decocta aquosa, vinosa; digestionem vero omni prostrata, cum cortex assimilari non possit, ab eius usu utique abstinendum est.

Topica remedia Nomae opponenda *A. L. Richter* sequenti ratione coordinat 1-mo Unguentum aegyptiacum. 2 Collutoria adstringentia. 3-tio Fomenta adstringentia. 4-to Acidum sulfuricum. 5-to Acidum muriaticum. 6-to Acidum pyrolignosum. 7-mo Chloretum natri. 8-vo Balsamus peruvianus. 9-no Scarificatio gingivarum. 10-mo Excisio partis gangraenosae. 11-mo. Ferrum candens. — Quamvis vero singulum horum ut specificum laudetur, casusque adferantur morbi diri eodem sanati; attamen eadem non esse promiscue adhibenda edocebimur, si enumeratorum remediorum diversam efficaciam, diversum statum universalem aegri morbo topico subversantem, et diversam nomae faciem pro ratione durationis respexerimus. Unde dum Noma e scorbuto evolvi incipit, collutoria adstringentia et fomenta similia nostrae maxime satisfacient indicationi. Huc pertinent infusa imprimis vinosa rad. Ari-

stolochiae, Iridis florentinae, Herb. Marubii, flor. Hyperici cum Myrrha et Aloe. (*van de Voorde*). Huc Spiritus vini camphoratus cum Alumine et Sachano. (*Saviard*). Huc solutio muriatis Amoniae et nitratis Lixivae in aqua cum aceto vel succo Citri: (*van Swieten*) solutio cupri sulfurici, (*Coates*^a) zinci sulfurici, (*Pearson*) cum chinae et aliis adstringentium herbarum decoctis, tincturis variis additis. Verum, si certo constat facta certa morbi diagnosi (imprimis Nomae metastaticae) defectum topicum vitalitatis subesse, secundum *Capdeville*, *Chopart*, *Dessault* et alios ipsum cauterium actuale adplicandum foret, quo remedio potentissimo vitalitas excitari et gangraenae limites poni possint.

In magna hac remediorum diversitate per *A. L. Richter* adducta ratio svadet medium tenendum esse ita tamen ut scopo conformiter plura simul iuncta adhibeantur; remedia tonico — adstringentia iungantur aliis vegetationem excitantibus. Imprimis acida mineralia huius loci sunt: in specie acidum sulfuricum et acidum muriaticum. Acidum sulfuricum *van de Voorde* cum melle adhibendum esse svadet. Jourdain eidem acido: camphoram, salem amoniacum, mel rosarum et spiritum vini adiecit. Convenientissimum erit, acidum solum vel melli iunctum caute penicillo parti adfectae inducere. Hac ratione adhibitum acidum imprimis initio morbi maxime efficax fuisse *Wepfer*, *Lund*, *Saviard*, *Poupart*, *Bernstein* testantur; imo tunc

a) *Coates* cuprum sulfuricum sequenti ratione adhibuit:

Rp. Cupri sulf. Dr. duas

Pulv. chin. unc semis

Aquae simpl. unc quatuor

S. Bis per diem ad totam ulceris superficiem illiniendum. — *Huston* remedio huic fomentationes cum aqua Goulardi addidit.

quoque dum gengraenae limites positi sunt; dilutiori forma utiliter adhibetur. Eandem effectum praestat acidum muriaticum pari ratione adhibitum. Hoc testatur *van Swieten, Poupart, Meza, Bernstein, Richter, Boyet*; imprimis vero *Siebert*, qui acidum salis solum, pro vario morbi gradu iam concentratius, iam dilutius adhibendum svaedet, et eodem quatuor infantes Noma adfectos curatos fuisse refert. Cui laudi tamen detrahunt *Klaatsch et Wiegand*: acidum muriaticum sibi vix conspicuum effectum exeruisse adserentes. (*Rust's theoret. praktisch. Handb. d. chir B. 3. art. Cancer, aquat. S. 476.*) Sic *Dr. Hueter* tristem casum refert puellae quinquennis Noma laborantis, in qua per morbos praegressos summe debilitata maxima solertia acidum muriaticum tam interne, quam externe adhibitum est, limitem tamen depascenti malo ponere non valuit. Vid. *Graefe's u. Walther's Journal. d. Chir. u. Augenh. 13 B. 1. H. S. 26.*

Pari effectum non tamen ita frequenter et acidum pyrolignosum a *Klaatsch, Raimon, Wiegand*; et chloretum natri a *Rey, Rust* adhibitum est. Si tamen felices aliquot casus Nomae his remediis tractatos, cum aliis compluribus in gangraena ingenere ab his remediis observatis coniunxerimus praeferenda fere omnibus viderentur. Chloretum imprimis sodae insigni sua antiseptica, miasma destruyente virtute in brephotrophiis et orphanotrophiis si Noma endemic grassaretur, maximae esse utilitatis. Chloretum Calcis etiam huius loci foret, possetque adhiberi forma ab *Angelet* praescripta ex 16 gr. — Dr. Semis Calc. chlor. cum Unc. una muc. gum. arab. et 4 Dr. Syr. Cor, Aaur. — Ad probandam virtutem acidi pyrolignosi *Dr. Klaatsch* adfert exemplum Nomaein puero $2\frac{1}{2}$ anni. Hic morbus gastricis symptomatibus praegressis cum papula in dextro angulo oris incepit moxque ultro per partes vicinas propagabatur, aci-

dum *muriaticum* tam interne cum decocto *chinae*, quam externe (ut etiam *rasa solana tuberosa cruda*) adhibitum, malo limites non posuit, illudque habitum exhibuit mollescorum gelatinosum. In hoc statu acidum pyrolignosum concentratum, impurum, applicabatur, cum tali effectu, ut tumore partis adfectae imminuto, parte sphaelosa secedente, aberrima granulatio visui se sisteret, qua laete procedente amissa pars notabilis genae dextrae restituta cicatricem exiguam reliquit. Vid *Hufeland's Journal d. practisch. Heilk.* B 56. St. 1. S. 100.

Unguentum aegyptiacum, et balsamus peruviaus magis ulceri posthumo a Noma relicto illinienda essent. Posteriori tamen remedio ipsi Nomae limites positos fuisse *Thompson* testatur. — In applicatione omnium horum remediorum curandum semper, ut partes emortuae medio forcipulae et forcicis caute auferantur, ut remediis applicandis in partem organismi aditus pateat.

Cauterii actualis, seu ferri candentis ad candescentiam albam applicatio in morbo praesenti valde restringitur, si pensaverimus, eandem tunc cum effectu bono institui posse, si omnes ulceris sphaelosi partes contingantur; hoc tamen tantum in morbo incipiente partium externarum faciei fieri potest; dum vero malum internas occupat cavi oris partes, aut eodem nimis extenso, merito ut tentamen audax, inutile dolorificum, rejiciendum, eo magis, si diathesis organismo fors impactae meminerimus.

Scarificatio gingivae a *Boof*, *Bidloo*, et *Saviard* proposita, nisi prioribus remediis iuncta effectum praestant, non ob sanguinis decompositi evacuationem, sed eo, quod remediis dictis aditum patefaciat, quo melius in Organismum agere possint.

Excisio partis morbosae fors eo solum in aliquot casibus se utilem exhibuit, quod per eam vitalitas partium

vicinarum excitata fuerit. Neque alibi locum habet, quam ubi morbus topicus est, analogus sphacelo traumatico per vulnera sclopetaria inducto; cum vero in Noma semper supponamus causam universalem eidem subversantem; excisio hic tam parum habet locum, quam in alia quacunque constitutionali gangraena excisio partis gangraenosae, aut amputatio membri admittitur. *Stelwagen* in uno casu tantam portionem excidit, ut similem vulneris coniunctionem, qualis in labio leporino adhiberi consuevit, adplicare potuerit.

Dr. *Sundelin* loco cit. theoriae suae de natura Nomae, statutae conformiter propriam curandi methodum adducit. Dicit nempe: in cura Nomae duplicis generis morbum distingvendum esse; Noma metastaticam aliam, aliam e discrasia universali ortam. In metastatica videndum esse; an haec sub forma inflammationis comparuerit; atque tunc hirudines circa partem adfectam applicandae, fomenta ex solutione salis communis; serius emollientia etiam forma fomentorum adhibenda et vesicans nuchae adponendum est. Praeterea initio morbi emetica (quae systemati nervoso novum stimulum addunt, se — et excretiones expediunt) pro ratione circumstantiarum, aut purgantia, uti et balnea tepida synapismi, vesicantia, et remedia diaphoretica indicantur. — In metastasi asthenica a depressa vitalitate orta, mox moschus; spiritus salis amoniaci succinatus, camphora et bonum vinum adhibenda forent, praeterea cutem irritantia remedia, et opium parvis dosibus; imprimis hoc ultimum laudatur, cum morbus ab adfectione primaria systematis nervosi derivetur, et in gastromalacia opium insignis sit utilitatis; serius et mitiora chinae praeparata negligenda non esse. — In Noma a discrasia universali imprimis initio emetica et purgantia

utilia fore adseruntur, serius moderatae doses Rhei. — Auctor huius methodi ipse prius remedia ab aliis auctoribus commendata a nobis superius adducta, refert, et methodum suam tantum, ut haec tentaretur, adducit. Quare tutius videtur curandi modo superius exposito adhaerere, tanto magis cum ipse hic Auctor fateatur, se unicam Noma lethali cum effectu tractasse.

In *Orvosi Tár* loco cit. in casu primo pueri 9 annorum malo satis extenso adfecti methodus stimulantiroborans tam interne, quam externe adhibita; imprimis camphora et china utilem se praebuit. In eodem scripto periodico, 3 Füzet 209 L. Chirurgus *Jacobaei* 2. Casus puerorum noma laborantium adfert, ubi externe imprimis fomenta tepida e decocto chinae atque infuso herb. aromaticarum cum Tinc. Mirbae, oxym. aerug. et oxym. rosar, morbi extensionem impedit; interne quoque roborantia adhibebantur. —

In *Dictionnaire de sciences médicales*. T. 17. art. Gangrène morbus ad gangraenas ex inflammatione attonica in specie ex scorbuto ortas refertur, atque lotiones spirituosae, acidum muriaticum, et alia antiscorbutica svadentur, diciturque in morbi maxima vehementia ferrum candens eidem limites ponere.

Si per therapiam hucusque adductam limites malo ponuntur, partes gangraenosae medio suppurationis solvantur; ulcus purum, ut quodcunque aliud simpliciter tractandum est: reproductio utique hoc in casu partium tam mollium, quam durarum miro procedit modo, et amissa post maximam etiam devastationem restituuntur paucis vestigiis relictis.

Ex consideratione hucusque dictorum patet multiplicem hunc morbum, multiplici therapia oppugnatum fuisse; neque tamen adhuc eo pervenimus, ut certum aliquod et infallibile remedium morbo diro opponeremus; sed adest hac quoque in parte campus amplius rationali medici scrutinio dignissimus.



L i t e r a t u r a .

- C. Battus*, Handboeck der Chirurgyen. Amsterdam 1620.
p. 315.
- Eyselius*, Diss. de nomis. Erf. 1701.
- Saviard*, Nouveau recueil d' observations chirurgicales.
Paris 1702. obs. CXXVIII. p. 556.
- Bidloo*, Exercitationum anatomico - chirurgicarum Decas,
Lugd. Bat. 1704. Exerc. II. p. 19.
- Van Swieten*, Commentaria in H. Boerhave aphorismos.
Lugd. Bat. 1742. T. 1. p. 749. 776.
- Schneider*, Chirurgische Geschichten. Chemnitz 1781.
Th. 19. S. 95.
- Chopart* und *Desault*, Anleitung zur Kenntniss aller chi-
rurg. Krankheiten. Aus dem Französ. Leipzig,
1783. B. 1. S. 326.
- Löffler*, über die Noma africana. Im Archiv. d. prakt.
Arzneik. Bd. II. Leipzig 1786. S. 94.
- Chr. Girtanner*, Abhandl. über die Krankh. der Kinder.
Berlin, 1794. S. 135.
- Ch. E. Fischer*, in *Hufeland's Journal*. Bd. XXXIII. Juli.
S. 80. Aug. S. 54.
- Siebert*, ebendasselbst. Decemb. S. 74.
- Hennig*, ebendas., Aug. 1816. S. 131.
- Michaelis*, ebendas., Bd. XXVIII. Januar. S. 107.
- Mende*, ebendas., B. XXIX. Octbr. S. 24.
- Neuhof*, ebendas., B. XXXI. Nov. S. 35.
- Henke*, Handb. zur Erkenntn. und Heilung. d. Kinderkr.
Frankf. a. M. B. II. Aufl. 2. S. 254.

- Rust*, Magazin d. gesammt. Heilk. Berlin 1816. Bd. 1. S. 337.
- J. E. Bernstein*, Handb. für Wundärzte. Leipzig 1818. Bd. I. S. 533.
- A. G. Richter*, Anfangsgründe d. Wundarzneikunde. Bd. IV. S. 92.
- A. G. Richter*, specielle Therapie. Bd. V. S. 820. Berlin, 1817.
- S. Cooper*, neuestes Handb. d. Chirurgie. Bd. I. S. 364.
- Boyer*, Abhandl. über die chirurg. Krankh. aus d. Französ. v. *Textor*. Würzb. 1821. Bd. VI. S. 336.
- Hermes*, Diss. de Stomacace. Kiliae 1820.
- Rey*, Révue médicale, 4. année. Tom. XI. Paris, 1823. p. 184.
- Kluatsch*, in *Hufeland's Journal*. Bd. LVI. 1823. Jan. S. 100. u. Febr. S. 48.
- Schmalz*, Versuch einer mediz. chir. Diagnostik. 4. Aufl. Dresd. u. Leipzig 1825. S. 85.
- Raiman*, Handb. d. spec. mediz. Path. u. Ther. Wien 1825. B. II. S. 274.
- H. Calissen*, System d. neuen Chirur. v. *A. C. P. Calissen*. Aus d. Latein, übers. Kopenh. 1824. Bd. II. S. 388.
- Z. Reiman*, de Nomate. Diss. inaug. Berol. 1824.
- V. J. Wiegand*, de Caucro, quem aquaticum vocant. Comment. inaug. Marb. 1827.
- C. G. Hesse*, über die Erweichung in d. allgem. mediz. Annal. n. *Fr. Pierer*. Decemberheft 1826. S. 1636.
- A. L. Richter*, der Wasserkrebs der Kinder. Berlin. 1828.
- Hueter*, Beobachtungen über d. Wasserkrebs in v. *Gräfe's* u. v. *Walther's Journal*. Bd. XIII. Hft. 1. S. 264.
- Wiegand*, der Wasserkrebs. Erlangen 1830. 8.

T h e s e s .

I.

Investigatio, an neonatus naturali, vel violenta morte obi-
verit, ad difficillima Medici forensis munia pertinet;

Nam nec signa physica mortis violentae infanticidium plene
demonstrant.

Nona non semper scorbutum supponit.

IV.

Tantum verus Medicus Ophthalmoiatet esse potest.

V.

Omnis cognitio humana fontem eruditionis Medico suppe-
ditare potest.

VI.

Morbo posito sanitas suffertur; data sanitate tollitur mor-
bus: inter sanitatem igitur et morbum, non datur
status intermedius.

VII.

Hernia incarcerata malum sistit periculosissimum.

VIII.

In exanthematibus acutis febris therapiam dirigit.

IX.

Quousque vires Emetinae erutae uberius non fuerint, ea Ipecacuanhae substitui non potest.

X.

Functio glandulae Thyms hucdum plene evicta non est.

